TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

ANASARCA.

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE
DE
ANASARCA;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS PITCAIRN,

Scotus,

CHIRURGUS.

Kalendis Augusti, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1819.

JOANNI ABERCROMBIE, M. D.

COLLEG. REG. CHIRURG. EDINENS. SOCIO,

&c. &c. &c.

ARTEM SALUTIFERAM IN EDINBURGO

CUM SUMMO HONORE EXERCENTI;

NON MINUS RERUM MEDICARUM PERITIA, QUAM PIETATE,

BENEVOLENTIA, ET MORUM SUAVITATE,

INSIGNI.

Hanc occasionem, Praeceptor amicissime, quam usus Academiae praebet, tui erga me iterum iterumque experti amoris agnoscendi, lubentissime amplector. Si quid est in me peritiae, si quid experientiae, aut artis medicae amoris, exemplo, praeceptisque tuis, in totum debeo. Si quid in me deficit, non tibi vero, sed mihi ipsi, referendum est. Tot et tanta beneficia recordari, semper mihi summum erit oblectamentum.

Jam valeas. Illa felicitate fruaris, quam ego tibi exopto, et quam virtutes tuae maxime merentur.

PATRUO SUO,

JOANNI PITCAIRN

DE PITCAIRN,

ARMIGERO,

VIRO EXIMIO ET PIETATE INSIGNI,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

SACRARE

VULT

AUCTOR.

NECNON,

AVUNCULO SUO,

JOANNI KINCAID,

DE KINCAID,

ARMIGERO,

OB MULTA BENEFICIA

IN SE COLLATA ;

HOC OPUSCULUM

D. D. C.QUE

JACOBUS PITCAIRN.

AVUNCULO ET AMICO SUO,

GEORGIO KINCAID,

ARMIGERO,

HAS PAGINAS,

QUALESCUNQUE SUNT,

SACRAS

VULT

SORORIS FILIUS.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

ANASARCA.

Ut statutis hujus Academiae celeberrimae, quae aliquod ingenii sui exemplar postulant, ab unoquoque summos artis medicae honores affectante, rite obediam; hoc tentamen meum, ea diffidentia, quae juvenem et inexpertem decet, eruditorum examini subjicio. Quae dicturus sum, ad illam Hydropis speciem quae Anasarca appellatur, circumscribam.

Humor aqueus, praeter naturam in variis corporis partibus accumulatus, Hydrops appellatur; sed pro partibus, in quibus continetur aqua, varia nomina adeptus est. Si in capite aqua sit, morbo Hydrocephalus nomen est: Si in pectore, Hydrothorax: Si in abdomine, Ascites; denique, si in tela cellulosa, Anasarca. De postrema solum, nempe Anasarca, mihi in animo est disputare.

DEFINITIO MORBI.

Hunc morbum, ad classem Cachexiarum, et ordinem Intumescentiarum, refert celeberrimus Cullen, eumque his verbis apte definit: "Corporis totius, vel partis ejus, intumescentia mollis, inelastica *."

* Synopsis Nosologiae Methodicae.

HISTORIA MORBI.

A TEMPORIBUS vero vetustissimis hydropis species, multos hominum afficere solitae sunt. Nulli aetati, sexuive parcit hic morbus. Infantiam, adolescentiam, aetatem virilem, senectutemque aeque invadit. Sed foeminas, illasque praecipue quae effoetae fuerint, saepius afficere, dicitur. Anasarca est morbus, modo idiopathicus, modo symptomaticus.

Anasarca communis, cum pedum et talorum tumore, aucto quandocunque si membra per aliquod temporis in positione dependente fuerint, primo aggreditur; quum, exempli gratia, aegrotus diu vel steterit, vel ambulaverit. Morbo oriente, tumor mane, atque per noctem, propter positionem horizontalem, decrescit. Hic tumor sine colore est; saepe semipellucidus, mollis, inelasticus, digitique impressionem retinens aliquamdiu, nec tactum sequitur do-

lor *. Sub hac morbi forma, aquae accumulatio gradatim fit, ejusque symptomata lenia sunt. Tumor interea sursum progreditur, adeo ut, femorum, lumborum, et corporis telam cellulosam occupet: brachia, cervix, et vultus postremo afficiuntur. Quum hactenus processerit, observare licet, respirationem difficilem, necnon et tussin plerumque vehementem, cum expectoratione interdum aquosa, et haud raro purulenta †. Urina, quantitate minor, et colore rubicunda, subrubrum etiamque sanguineum sedimentum deponit; interdum copiosior et albida est, serum lactis referens; calore plerumque coagulabilis; coagulum vero ipsum, incerto varioque pondere. Sitis saepissime vehemens, cibi fastidium, febris lenta, hunc morbum comitantur. Alvus plerumque adstricta. Corpus emaciatur; colorem subflavum et morbidum cutis exhibet. Pulsus parvus, debilis, et frequens.

---

* In duobus exemplis, quae memoravit Dr Blackall, tacta cutis dolorem sensit, pp. 102 et 126.

† Blackall on Dropsies, p. 212.

Morbus, si remedia idonea non obvenerint, paulatim ingravescit; symptomata omnia quotidie in pejus ruunt; donec postremo, facultatibus vitae deficientibus, coma, vel animi deliquium, aegroti miseriis finem ponunt.

Haec conditio saepissime ex aliqua viscerum obstructione, oritur; igitur viscera maxime animadvertenda sunt. Saepe tamen hae affectiones organicae obscurae sunt originis, nec quam corporis partem morbus praecipue afficiat, facile judicare possumus, utrúm vero organorum structuram, an eorum functiones excretorias. Frequentissime, quum morbus in longum producitur, hepatis regionem occupat.

Forma supra delineata lenta est et chronica. Species autem altera est, rarius occurrens, rapidior vero et acutior, cujus symptomata vehementiora sunt, et in inflammationem vergentia.

Hodie enim satis constat, diathesin inflam-

matoriam in hydrope existere posse. Sed de hoc infra loquemur.

Haec morbi species subito aggreditur, vel valetudine integros, habituque corporis florentes. Corpus jam nimis calidum, et sudore perfusum, frigori et humiditati subito objectum, causa hujus morbi praecipue exstat. Morbum incipientem, pectoris anxietas et oppressio, respiratioque difficilis primo testantur. Aliquando haec respirationis difficultas sine tussi et sine dolore apparet. Aliquando autem, vehementem dolorem et tussin reperimus, et in quibusdam exemplis etiam, orthopnoea gignitur. Pulsus interdum durus et plenus est, modo naturalis, modo debilis et irregularis. Urina parca et rubra, et plerumque calore et acido nitrico coagulari potest. Anasarca progressu rapida est; vulgoque in partibus corporis superioribus, velut in facie, in pectore et brachiis, incipit.

Hic morbus, si in cursu suo haud impediatur, vel si remedia sine discrimine adhibeantur,

in finem fatalem ducitur, effusione in thoracem facta, aut pulmonem laesione organica. Hic eventus citior, tardiorve erit, prout res se habeant. Interdum subita invadit mors, humore aut in ventriculos, aut in superficiem cerebri extravasato. Hoc tamen raro nisi infantibus, accidit.

Alia est anasarcae species, celerrima et admodum periculosa, quae scarlatinam succedit. Plerumque aggreditur ubi gravis inflammatio fuerit cutis magis quam faucium * : plerumque tumor in facie incipit, et corporis truncum extremitatesque superiores, magis quam inferiores occupat; raro sequitur violentiores ejus morbi formas. Circiter octo dies advenit, postquam eruptio abierit, sed saepissime tardius. Dicit Doctor Wells, Anasarca nunquam scarlatinam sequitur, post hebdomadam quartam †. Febris et irritatio per universum corpus comi-

* Blackall on Dropsies, p. 203.

† Transactions of a Society for the Improvement of Medical and Chirurgical Knowledge, vol. iii.

tantur. Urina coagulabilis est et valde rubra, sed non diminuta *. Maxima sub hoc morbo, et praerapida est emaciatio. Hydrothorax et ascites haud raro succedunt. Saepius supervenit scarlatinae per hyemem, quam per aestatem, iisque qui citius sub dio expositi sunt. Hujus affectionis tamen curatio non desperanda est. Ubi vero scrofula vel aetas infantilis accedant, cerebri effusio metuenda est ; et ob hanc rem aegrotum ad sanitatem reducendi spes minus probabilis est. Aliquando anasarca in initio abire videtur, sed hoc symptoma fallacissimum est.

Anasarca post aquae frigidae haustum, corpore adhuc nimis calido, inducta, cito post causam excitantem applicatam, supervenit. Determinationes inflammatorias in hoc morbo haud raro offendimus, frequentius thoracicas. Opinatur Doctor Blackall, tumorem in hac specie celerius progredi, quam in quavis alia.

* Wells, loc. citat.

Interdum ad effusionem hydropicam diathesis, illam aetatem afficit, quum desinunt menses, etiamque quum antea aegrota valetudine et vigore insignis fuerit. Eadem aliquando appropinquat in senibus qui vitam duxerint inertem et luxuriosam. Haec anasarcae species insidiose aggreditur, et plerumque curatione est difficilis. In initio apparet tumor crurum anasarcosus, primo lenis, sed postea augescens, donec truncum corporis attingat. Hunc comitantur nausea, in ventriculum sensus ponderis dolorosus, qui semper post cibum augetur. Bonus est appetitus, sed fallax. Paulatim languescit aegrotus, et vultus mutatur. Hic morbus ad multum temporis produci potest, sed cedit remediis consuetis *.

DIAGNOSIS.

MULTUM de hujus morbi diagnosi dicere parum necesse est, quum ab aliis tanto discrimine

* Dr Abercrombie on Dropsical Affections. Medical and Surgical Journal, NO. 54.

distinguatur. Solum polysarciae et emphysemati, aliquam similitudinem habet. In neutro vero eorum paucitas urinae adest, nec sitis; et in emphysemate, tumor digiti tactui sonum crepitantem reddit, et digiti impressio statim evanescit.

PROGNOSIS.

Prognosis nostra in toto erit, prout sit causa morbi. Si ex laesione organica oritur, nil sperandum est; sin vero ex inflammatione, aut quavis alia affectione sine detrimento organico, remediis postea memorandis curationem expectare possumus, pro sexu, aetate, et viribus aegroti. Multum sperandum est, in iis exemplis, ubi vires sunt minime diminutae, et respiratio non oppressa est.

CAUSA PROXIMA.

" Quaecunque causa diutius potest sangui-" nis, aut lymphae cursum morari, aut humoris " quo caveae corporis madent, praeter modum " aut secretionem augere, aut exitum deinde " imminuere, morbo huic potest originem prae-" bere *." Habitu corporis sano, absorptio exhalationem aequat; sin illa vero tardescat, sive secretio ex arteriarum ramusculis absorptionem etiam naturalem superet, humoris accumulationem fieri necesse est. His adjungi potest subitanea lymphaticorum, vel ductus thoracici ipsius ruptura, aut obstructio ex quavis causa, derivatur. Hewson ab hac supradicta opinione longe dissentit, nec exhalationem adauctam illi videtur, nec absorptionem diminutam, nec lymphaticorum rupturam hu-

* Morgagni de Sedibus et Causis Morborum, Ep. xxxviii, Art. 19.

jus morbi causas haberi posse; sed vel ex morbida vasorum conditione, vel ex nimia sanguinis serositate, originem ducere; obstructionesque abdominales non hydropem generare, nisi naturalem chylae formationem impediat *.

CAUSAE EXCITANTES.

MULTAE autem et variae sunt causae, cur fiat effusio hydropica. Earum solum potentissimarum hoc in loco mentionem facere in animo est. Quodcunque reditum sanguinis ad dextrum cordis ventriculum impedit, dignum est primo loco. Hoc modo congestio venosa praeter naturam facta, copiosae humoris exhalationi favet. Ad morbum quoque excitandum conspirant hae causae: Hepatis, lienis, et glandularum mesentericarum obstructiones; necnon uterus gravidus, ab ejus pressura in venas

* Hewson on the Lymphatics, Part II.

iliacas; variaeque species compressionis,—quales a tumoribus steatomatosis evacuationum suppressiones, urinae, mensium, perspirationis, fluxus haemorrhoidalis cohibiti, haustus aquae frigidae copiosus, corpore calido, in ventriculum sumptus. Post scarlatinam haec dispositio ad effusionem hydropicam praecipue conspicua est, et saepe cum aliis indiciis infaustis conjungitur; et dicit Dr DUNCAN senior, ut plerumque pendet ex statu cutis post scarlatinam. Laxatio exhalantium anasarcam frequentissime excitat; qualis post febres continuas, typhoidas et intermittentes; in extremis phthiseos gradibus; post classem Exanthematum, praecipue post erysipelan; et inde illa species anasarcae a CULLEN nominata Exanthematica; post haemorrhagiam copiosam, vel detractiones sanguinis frequentes et largas; necnon nutrimentum malum et parcum, aër impurus, et podagra. In senectute saepe oritur anasarca ab ossificatione partis alicujus systematis arterialis. Diu observatum fuit, actionem arteriarum torpidam, effusionem hydropicam juva-

re. At etiam contra satis cognitum est, nimia actione, hanc interdum promoveri et absorptionem impediri ; aut aliter, ex inflammatione oriri. Multa extant exempla effusionis serosae post inflammationem in magnas corporis caveas.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Quicunque morbus debilitatem, vel universi corporis, vel tantum alicujus partis, inducit, anasarcam concitat. Tales cordis, pulmonum, hepatis, lienis, et ovarii morbi organici, ossificatio arteriarum ipsarum. Hinc multae earum, quas supra memoravimus, ad causas praedisponentes pertinere habeantur. Causa potentissima anasarcae confitetur, usus liquorum spirituosorum et vinosorum frequens et immodicus, horumque exemplorum curatio plerumque valde difficilis est. Satis cognitum est, habituum liquorum spirituosorum et vinosorum usum,

morbos hepatis maxime adjuvare, et hinc forsan hydropis est causa. Adhibitio habitua narcoticorum ad hunc morbum praedisponere, dicitur. Inveterata est opinio, hereditariam in hydropem praedispositionem existere posse. Vita ignava, et coelum humidum hujus productionem favent. Qui locos humiles habitant hydropi obnoxii sunt. Postremo, memoranda sunt omnia quae debilitatem facere possunt, ut senectus, et potissimum nimis copiosae sanguinis detractiones. Vitam inertem et luxuriosam agentes, ad affectiones hydropicas proni sunt. Quippe queis sanguinis circuitus tardetur, et concoctio et assimilatio non perfecte perficiantur. Pari modo etiam dicitur omnes animi affectiones tristes, ad hunc morbum praedisponere.

RATIO SYMPTOMATUM.

Pedum et talorum vespertinus tumor.—Aqua collecta suo pondere imos petit locos. Inci-

piente morbo, explicari potest, positu erecto, et debilitate, quibus addatur reditus sanguinis venosi impeditus. In provectioribus gradibus, saepe referendus est pressurae in venam cavam, et venas iliacas factae.

Respirandi difficultas.—Hoc indicium ascribi potest vel transmissioni sanguinis per pulmones obstructae, vel pressurae humoris effusi in pulmones, (seu sit in eorum tela cellulosa, seu in ipsius thoracis cavea,) impedienti liberum diaphragmatis ascensum et descensum. Sola pressura effusionis physica, respirationem sine dubio afficeret; sed tussis et pectoris dolor, et in uno latere decumbendi impotentia, hoc malum testantur radices habere multum altiores.

Urina parca, rubra, et coagulabilis.—Exigua urinae quantitas, quae plerumque redditur, explicanda est ex nimia abundantia humoris serosi, jam in telam cellulosam effusi. Hanc ob rem redditur urina crassior et rubrior, et sales quos continet facilius separandi sunt, propter

inopiam aquosae partis. Solum quod albumen inest, efficitur ut prompte possit coagulari.

Pulsus debilis et irregularis.—Hoc satis intelligitur ex imperfecta sanguinis transmissione per pulmones, et saepe ad humorem in pericardium effusum referendum est.

DE IIS QUAE CORPORE SECTO PATEFIUNT.

Effusus humor varie dilutus extare potest. Interdum in ascite crassissimus est, quique ex scarificationibus exhauritur speciem aquosam exhibet. Reperitur quoque colore rubro quasi sanguine tinctus, et hoc saepissime in eo videtur quem pericardium continet *. Trunci ab-

* Dedit Doctor Marcett analysin chemicam humorum hydropicorum qui in corpore formantur. In omnibus albumen invenit, sed in proportione valde varia: in omnibus etiam invenit materiam quam appellat Muco-extractivam. In nullis extitit gelatina. Adfuerunt tamen muriates potassae

sorbentium praecipui, e parte tumido egredientes, tunicas densatas habent. Telam cellulosam distensam pro morbi spatio invenimus; et haud infrequenter, species est effusionis, quasi gelatinosae; parum vero certum fit, an per vitam, an post mortem obveniat. Certam telae cellulosae conditionem memorat Doctor BLACKALL, actioni inflammatoriae conjunctam. Trunci et extremitatum tela cellulosa, effusione semipellucida, scalpellum resistente, ubique impleta erat. In his duobus exemplis, cutis tactu dolorosa fuit *. Hepar saepissime morbi sedes est, et effusionis hydropicae causa. Interdum largum et durum est hepar, aliquando parvum et scirrhosum. Ubi causam morbi in thorace esse ducimus, pulmones saepius, aut cor, arteriasve magnas, earumve valvulas, morbosa reperire corpore dissecto, expectamus. In eorum corporis dissectione qui sub anasarca post scarlatinam mortui sunt, " medici hinc soler-

---

et sodae, sulphates potassae et sodae, phosphates calcis, ferri et magnesiae.—Medico-Chirurgical Transactions, vol. ii.

* Blackall on Dropsies, p. 215.

tiores mortuorum cadavera secuerunt, inveneruntque pulmones, pleuram, intercostales musculos, diaphragma, renes et intestina, plus minusve inflammatione correpta *."

RATIO MEDENDI.

Curationis indicationes tres sunt: I°. Causas remotas tollère: II°. Humorem serosum jam collectum educere: III°. Systematis vigorem restaurare.

I°. Causas remotas tollere; quod ad primum attinet.

Anasarca ex causis tot, et tam variis oritur, ut eas hic iterum enumerare superfluum et longum esset. Quaestio vero in primis est, in hujus morbi curatione, aeque ac aliorum omnium,

---

* Burserius Institut. tom. ii.

an sit idiopathicus, an alicui alii morbus conjunctus, quem, nisi removeamus, non perfici possit curatio. Quam ob rem intente animadvertendum est, quae, et praecipue quo ordine, symptomata aegrotum primo aggressa sunt. Remedia quoque quae adhibenda sunt, congruere debent gradui morbi in quo primo aegrotum videmus. Si enim ab morbo quovis organico gignatur, ut radicitus expellatur non expectandum est : Sed hoc tantum restat, ut aegroti dolores, blandis remediis, quantum potest mulceamus. In plurimis exemplis causae nimium perspicaces sunt, et penitus ultra remediorum auxilium. Tales sunt hydropes, qui cordis, hepatis laesionem comitantur. Hic ad morbum primarium spectare debemus, quem levare tentandum est, medicamentis deobstruentibus, quorum praeparationes hydrargyri, praecipue submuriatis, efficacissimae sunt, et his conjungantur aliqua diureticorum. Si anasarca hoc modo parum removeatur, saltem tamen impedietur, ne ulterius progredia-

tur. Omnia demum quae morbum inducere possunt, quam cautissime vitanda sunt, et praecipue intemperantia et vita sedentaria.

Morborum primariorum curatio, qui possunt hydropem inducere, longe a meo tentamine sejuncta est.

Venaesectio.

Sanguinis detractio remedium valde ab eorum sententiis et praxi abhorret, qui adhuc hydropem debilitatis effectum existimarunt, saltem vero minime cum inflammatione connexum. Hujus evacuationis usui, quamvis vetusto, eadem impediunt, ac si recens esset; semper enim evenit, renovationem obsoleti remedii haud minus difficilem esse, quam novi introductio.

Hujus remedii vis, in quibusdam hydropis exemplis, diu medicos latuit. Olim hydrops pene semper, ex corporis debilitate, et morbida sanguinis tenuitate oriri habitus fuit. Parum observatum erat, actionem circulationis nimiam, et praeter naturam, in compluribus hujus mor-

bi exemplis, occurrere. Inflammatoriam tamen diathesin in hydrope existere, suspicati sunt, et aliqui ex scriptoribus vetustioribus. HIPPOCRATES ipse * venaesectionem in hoc morbo suadet, quum post consuetae sanguinis evacuationis suppressionem aggrediatur, qualis fluxus haemorrhoidalis aut mensium, &c. et praecipue si aegrotus plethoricus fuerit. Pleraque hujus generis exempla memoraverunt antiqui, in queis, curationem spontaneam effecêre Haemorrhagiae, Epistaxis, Haemoptysis, Haematemesis; quae omnia, efficaciam et necessitatem hujus evacuationis confirmant. Nonnulli veterum venaesectione feliciter usi sunt. Quaedam exempla venaesectione curavit Doctor HOME; et in omnibus, sanguis speciem illam praestitit, quae superficiem coriaceam albam appellatur †. Hoc corroborat experientia Doctorum MUNROE‡, CRUICKSHANK §, RUSH ||, WATT ¶, BLACK-

* De Victus Ratione in morbis acutis, Lib. iv.

† Home's Clinical Experiments.

‡ Monroe on Dropsy.

§ Cruickshank on the Absorbents.

|| Rush, Medical Inquiries, vol. ii.

¶ Watt on Diabetes.

ALL *, ABERCROMBIE †, CRAMPTON ‡, GREGORY §, et MILMAN ||; in duobus exemplis, in quibus mittebatur sanguis, prae symptomatibus topicis, haec crusta visa est. In exemplis hujus morbi provectioribus, serum sanguinis detracti albido colore est, et crassamentum parcum est et molle. Si tamen in venaesectione persistitur, sanguis pristinam naturam recipere videtur. In exemplo foeminae a PORTAL memorato, quae postea ex apoplexia mortua est, multum profuit sanguinis missio in oedemate reducendo. "Il lui survint une oedematie des jambes et "des cuisses, avec une si grande difficulté de "respirer, et une assoupissement si profond, "que je pus craindre quelque epanchement "dans la tête, et dans la poitrine. Je la fis "saigner du pied avec tel avantage, que la ma- "lade se retablit en peu de tems, les urines

---

* Blackall on Dropsy.

† Medical and Surgical Journal, NO. 54.

‡ Transactions of King's and Queen's College, Dublin, vol. ii.

§ Lecture on Dropsy, London, 1819.

|| Milman's Animadversions on Dropsy.

"ayant été plus abondantes, et la respiration "s'étant retablie *."

Opinatur Doctor Blackall, certum inflammatoriae diatheseos indicium praeberi, ex urinae firmitate, abundantia, et coagulationis celeritate. In his recentioribus exemplis, quae comitantur inflammationis symptomata, nempe pulsus duri et tensi, etiamque respirandi difficultas et oppressio, repetatur venaesectio, donec removeantur hae affectiones. Ex pulsu forti, ut opinatur Doctor Abercrombie, ambiguum modo signum suppeditatur; namque, quum sanguinis per pulmones transmissio impediatur, saepe debilem reperimus pulsum et quoque irregularem, et misso sanguine paulatim vires acquirit †. Hujus generis duo exempla memorat Doctor Monro, quorum unum venaesectione curatum est, mentionemque cujus facit et Dr Blackall. Pulsus, ait, vulgo

* Portal sur la Nature et le Traitement de l'Apoplexie, p. 71.

† Medical and Surgical Journal, Appendix, NO. 54.

durus est, et obstructus, sed venaesectione crescit. Saepe respiratio difficilis, et tumor hydropicus, una sanguinis detractione, parum decrescere videntur. Necesse est igitur ut repetatur, majorem forsan ad modum, iterum, ac tertio. Ubicunque vero, certa inflammationis indicia reperiamus, illic eo magis venaesectione opus est. In acutioribus inflammationis abdominis formis, venaesectionis utilitas, et vero necessitas manifesta sunt. In peritonitide cum hydrope conjuncta, hoc remedio felicissimo eventu usum est.

Exempla sunt effusionis hydropicae quibus venaesectio perniciosa esset. Qualia sunt anasarca extremos gradus morborum debilitantium sequens, ut phthiseos, &c. Alia sunt contra hydropis, debilitati magnae conjuncta, et ex aliqua thoracis, aut abdominis affectione organica, parum vero manifeste orientia, in quibus sanguinis emissio, parca et opportuna, ad originem morbi perscrutandum, usui erit. In illa anasarcae specie quae annos labentes aggredi-

tur, venaesectio feliciter adhiberi potest, si quod haud raro accidit, in utero aut in pulmonibus sit congestio. Ubi ex hepatis inflammatione chronica oritur, hoc remedium valde salutarium erit, si adjiciantur mercurialia levia, et diuretica. Hoc remedium commendat M. Bacher, in iis morbi formis, quas appellat " Hydropisies " par plethore et tension, et avec disposition in- " flammatoire. Le pouls est plein, dur et ser- " ré ; les secretions et les excretions gênées ; " les malades sont tres alterés ; ils se plaignent " d'etouffement, de chaleur, d'accablement et " d'insomnie. Si les remedes communes ne " suffirent point, ils sont suivies et soutenues " par la saignée, et on la repete selon la de- " gré de la plethore."

" Il est certain, que les moyens qui sont les " plus propres à diminuer et à dissiper la ple- " thore et la tension, sont aussi ceux, qui re- " lentiront, empecheront l'infiltration et l'e- " panchement. Il resulte donc de cette theorie

"incontestable, que les delayans, les relachans, "la perte du sang, sont les vrais moyens de "prevenir, de retardir, et de guerir cette es-"pece d'hydropisie, qui deviendroit d'autant "plus rebelle à l'art, que l'on tarderoit de re-"courir aux moyens indiqués *."

In hac anasarcae specie, quae post scarlatinam advenit, venaesectione profuisse probatum est †, quum post mortem inventi sunt pulmones inflammati, &c. Dicit BURSERIUS, "Quapropter, in aliis qui in hujusmodi morbum inciderunt, sanguis mitti coeptus est ex brachio, "et si opus erat, etiam iterato, et sic omnes sa-"nabantur, felici eventu consilii bonitatem "comprobante ‡."

Etiamsi hic multum laudatur sanguinis detractio, certe plerisque exemplis non commode utendum est.

* Bacher sur les Hydropisies, pp. 72 et 73.

† Vide exempla Doctoris Gairdner, Med. and Surg. Journal, NO. 55.

‡ Burserius, Institut. tom. ii, par. 98.

II°. HUMOREM SEROSUM JAM COLLECTUM EDUCERE. Quod ad indicationem secundam, vel puncturis utendum est, vel ea remedia adhibenda sunt, quae secretiones serosas excitent.

Scarificationes.—Hae puncturae in iis locis faciendae sunt qui non dependentes sunt, nec ultra cutem penetrare debent. De scarificationum utilitate sic loquitur BURSERIUS: "His "autem pars tibiae inferior duobus, supra ta-"lum, digitis, conciditur, ut quidem ad cellu-"losam usque membranam penetrant, non vero "ultra pertingant; sed vulnuscula saepe in-"flammatio, dolor, et quandoque etiam gan-"graena consequitur *." Raro opportune adhiberi possunt, cum ob periculum, ne ulcera gangraenosa formentur, tum ob earum effectus minus permanentes. Auxilium interdum diureticorum semper adferendum est; et si partes

* Burserius Institut. tom. ii.

aqua laventur tepida, multum proderit. Doctor Fothergill praecipue suadet, ut cucurbitulâ fiant puncturae, in sura, ubi ruptionis est periculum, aut ubi difficilis fuerit respiratio *. Sin vero ex una incisione inducatur inflammatio, quid ex multis expectandum est?

Fonticuli.—Fonticulorum usus a quibusdam laudatur, sed hoc idem obstat, quod ad gangraenosam inflammationem formandam obnoxii sunt. Fonticulos adhibuit feliciter Doctor Home, in anasarca curanda; et opinatur puncturis anteponendos esse †.

Vesicatoria—Ad eadem inducenda aeque prona sunt. Sanguine tamen bis saepiusve detracto, haec perutilia remedia sunt, ubi respiratio impeditur, et ubi anasarca pulmonibus obstructis oritur.—Vesicatorium quod maxime hodie usurpatur, est unguentum tartritis antimonii, quia inflammationem phlegmonoideam

* London Medical Observations, vol. v.
† Home's Chemical Experiments.

excitat, quando cantharides illam speciem provocant, quae Erythema appellatur, eaque multo magis prona est in gangraenam descendere.

Diuretica.

De diureticis nunc agitur; sed dubia illarum efficacia valde dolenda est. Doctor Cullen de hac medicamentorum classe sic loquitur: "It happens unluckily that none of these are "of very certain operation; neither is it well "known why they sometimes succeed, and why "they so often fail; nor why one medicine "should prove of service when another does "not *." Et Doctor Gregory de iisdem, his verbis usus est: "Verissime tamen est, et maxi-"me dolendum, eorum effectus adeo esse incer-"tos, ut nemo medicus polliceri possit se aegro "cuiquam per ulla medicamenta urinam esse "moturum; saepe enim quae jure validissima "habentur, urinam ne minimam quidem mo-"vent †." Interdum evenit diureticum mino-

---

* Cullen's Materia Medica.

† Conspectus Medicinae Theoreticae, p. 527.

ris spei id, quod optamus, efficere, ubi ea quae pluris fecimus frustra, adhibita fuerunt. "Illud "ignorari non oportet, quod non omnibus ae- "gris eadem auxilia conveniunt *."

Digitalis.

De vi diureticà quam possidet digitalis, multa dixerunt medici ; et diu disputatum est, quo modo, praecipue in hydrope curando, ageret. Opinatur Doctor FERRIAR, vasa absorbentia, ubi nauseam excitat, vigorem praeter naturam acquirentia, humorem, eorum inertia antea collectum, exhaurire. Vis tamen hujus diuretici, vario et mutabili effectu est. In quibusdam habitibus corporis cito et efficaciter operatur, in urina augenda ; et quanquam hoc haud semper sequitur, probabilitas tamen adhibere suadet. Dicit Doctor FERRIAR, hoc medicamentum, si efficax futurum esset, celeriter effectum inducere, etiamque in parvis dosis : largius sumptum non diureticum esse†. Multum a Doctore BLACK-

---

* Celsus De Re Medica, lib. iii, cap. 1.

† Ferriar's Medical Histories and Reflections, vol. i. & ii.

ALL laudatur. In anasarca scarlatinam sequente, remedium efficacissimum appellat. Rite datum, nunquam, ait, expectationem fallere. Ubi urina coagulari potest, parca, et subrubro colore, multum ex digitalis usu sperandum est.

Quomodo et quamdiu sumatur hoc remedium magni est momenti. Caute dandum est; non enim desunt exempla, in quibus quantitas, vero modica, affectiones malas, etiamque periculosas inducebat. Facilius in eis debili habitu operatur, minore efficacia, in sano et valido corpore. Hoc primum demonstravit Doctor WITHERING *, et a Doctore MACLEAN confirmatur †. Multi infusionis exhibitionem laudant, et haec, sine dubio, tutissima est, quoniam minus est periculi, si nimio copiose daretur. Doctor WITHERING unciae unae foliorum siccorum cum aquae semilibra, adjicit unciam unam tincturae cinnamomi. Hujus, uncia vel semiuncia datur, in dosis drachmarum trium vel quatuor, diversis

---

* Withering on Digitalis, p. 189.

† Maclean on Hydrothorax.

temporibus per diem. Tincturam anteponunt alii, quod facilius obtinetur. Alii in forma solida pulveris commendant. Digitalis effectus multum adjuvatur, si quaedam alia remedia una adhibeantur. Multum digitalem laudat Doctor LETTSOM *. Dicit Doctor FERRIAR, hoc medicamentum sua experientia pauciores effecit curationes, pro ejus efficacia, quam ullum aliud †.

Supertartras Potassae,

Saepe feliciter datus est. Doctores HOME et FERRIAR multa hujus remedii experimenta ceperunt. Omnibus aliis medicamentis anteponere videntur. Exhibitione tuta et facili est, et hinc digitali preferendum. Vis antehydropica apud Doctores HOME et FERRIAR, etiamque BLACKALL, in maximo est pretio. Hoc solum incommodum expertus est FERRIAR, quod cito efficaciam purgativam perdiderit, unaque effectum hydrogogum; quamobrem necesse erat do-

---

* Memoirs of London Medical Society, vol. v.

† Medical Histories and Reflections, p. 192.

ses valde adauctas praescribere. Dicit Doctor Home, vires omnium eorum quos hoc remedio curavit, admodum debilitatas esse. De viginti hydropis exemplis, tredecim curavit: de septem anasarcae propriae, quinque. De quadraginta tribus, Doctor Ferriar curavit triginta tres, tres relevavit, et in novem aegroti mortui sunt. Partem curationum maximam hoc remedio effecit. Hoc praecipue consilio datur, ut excitentur secretiones renum, intestinorum et cutis; in quo efficiendo plerumque bene succedit. Dicit Doctor Home, alvum moveri ter quaterve in diem: in plurimis exemplis purgationem haud omnino efficit. Interdum alvum astringit. Aliis urina augetur; aliis vero minime. In parvulis dosis saepe repetitis et aqua dissolutis, ad unam duasve uncias quotidie adhibeatur, et sit pro potu aegroti solito. Si eventum felicem ducturus est, supertartras potassae cito operatur, saepe intra horas viginti quatuor, ad urinam augendam et tumorem hydropicum diminuendum.

Scilla Maritima.

Praeparationes variae hujus medicamenti multum et diu in hydropis curatione, usurpatae sunt. Attamen ejus vires haud tam certae quam vel digitalis, vel supertartratis potassae esse videntur. Affirmat Doctor HOME, solum prodesse scillam, cum emetici effectus inducit *. Ex hoc remedio multum pendet in exemplis cum thoracis oppressione, et expectoratione muci viscidi, et tussi, complicatis. Sed in iis contra, ubi extat digestionis magna debilitas, incommodum, aut vero noxium esset. In quotidianis morbi exemplis, remedium est aestimabile. Operationem ejus semper auxiliatur hydrargyrus, rite exhibitus.

Colchicum.

In hydropis curatione hujus remedii praescriptionem, sub forma oxymelis aut syrupi, multum commendat Dr STORCKE. Vim diureticam esse magnam affirmat. Ex ejus incerta tamen operatione, in praxi hodierna parum con-

* Home's Clinical Experiments.

stitutum est. Multum saepe prodesse repertum est, ubi digitalis et scilla maritima expectationem fefellerunt.

Cantharides.

Ex classe diureticorum stimulantium haec quoque tentatae sunt, raro tamen usu quotidiano. Vesicam plus quam renes efficere videntur. Dr Samuel Farr usum cantharidum valde commendat, et dicit, in exemplis suis, profuisse ob effectus ejus diureticos, et praecipue in senibus, quum earum effectus stimulantes nimium essent pro infantibus *.

Spiritus Aetheris Nitrosi

Maximum est auxilium, in humoris hydropici absorptione promovenda, si digitali aut scillae maritimae adjiciatur.

Nitras Potassae.

Dr Rush duo ascitis et duo anasarcae exem-

* Memoirs of the London Medical Society, vol. ii.

pla curavit, adhibendo scrupulum nitratis potassae ter quaterve in diem *.

Hydrargyrus.

Si morbus de quo agitur, ex aliqua abdominis obstructione oritur, velut hepatis, multum profuturum esse hydrargyrum, et in diureticorum operatione adjuvanda, haud inutilis erit. Hujus remedii exhibitionem, prout aegroti vires variabimus. Omnium ejus praeparationum, ad submuriatem saepissime decurritur. Recte, ut videtur, cum scilla dandus est, quum utriusque vires valde eo augentur. Opinatur Dr Blackall, injuriae esse posse, ubi urina coagulabilis est. Dissuadendus est etiam, quum fiat diathesis inflammatoria ; et revera, ut opinor, usu compertum est, ubi morbus novus est, manifeste esse noxium. In provectiore autem gradu et chronico, cum multa utilitate et spe dari potest.

---

* Rush's Medical Inquiries, vol. ii, p. 173.

Alvi Purgantia.

Haec medicamentorum classis plurimum in hydropis exemplis usurpata est. Horum remediorum vulgo adhibita sunt salina, quum facultatem secretiones fluidas augendi, e vasis intestinorum exhalantibus, habeant, et hinc humoris per corpus effusi diminutio, aut quidem absorptio tandem fiant. Tuta et plerumque sunt remedia efficacissima. Multum commendata sunt in hydrope cum diathesi inflammatoria. In species varias dividuntur purgantia.

Drastica.—Sub hac classe Elaterium, Gambogia, Scammonium, Helleborus Niger, Convolvulus Jalapa, et Cucumis Colocynthis, comprehensa sunt. Valde laudat Dr Ferriar exhibitionem Elaterii; sed ob ejus operationem asperam et incertam, praxi hodierna parum notatur. Unum ejus granum catharsin violentam facit. Usus vero aegroti viribus accommodatus est. Tutior et lenior est gambogia, multumque profuisse comperta est. Cum hydrargyri submuriate felicissimos eventus producit. Purgantia

alia drastica vires haud tam fortes possident. Omnia vero magni sunt pretii. Ubi iners est habitus, et effusio valde magna, purgantia drastica tuta sunt et efficacia. Dicit Dr BLACKALL, haec remedia, quum tumorem anasarcosum relevaverint, simul thoracem oppressum relinquere.

Mitia.—Horum sales neutri, communiores sunt. Conjunctio drasticorum cum mitibus, eorum exhibitionis forma commodissima est, et forsan haud minus potens quam quaevis alia. Usus purgantium saepe repetendus est, pro viribus aegrotantis.

Emetica.

Emetica, quod magnam quantitatem humoris serosi e ventriculo excitent, et quod absorptionem promoveant, in hydrope curando multum prosint. Affirmat Doctor HOME felicissimos sequi eventus eorum exhibitionem. Ut eorum effectu quam maxime fruamur, frequenter repetenda sunt. Scillam laudat Doctor HOME,

dicitque solum prodesse quum vomitum inducat. Emetica leniora, ut Ipecacuanha, aptius respondent. Bene accommodata sunt antimonialia ad conditionem systematis, aut cujusvis organi individui, inflammatoriam vincendam. Commendat Doctor THOMAS * conjunctionem cupri sulphatis cum ipecacuanha, quoniam vires non exhaurit.

Diaphoretica.

His medicamentis sudorem profusum promovere tentatum est, quum in hoc morbo sudoris secretio manifeste impeditur, aut valde diminuitur. Plerumque tamen inefficax est. Suadet autem Doctor DARWIN aegrotantem aëre calefacto aut vaporis balneo objicere †. Pediluvium calidum tentari potest.

Opium.—Aliquando dari potest opium ad somnum procurandum, aut diarrhoeam severam praevertendam. Cognovit Doctor HEBERDEN anasarcam curatam opiatis vespere datis ‡. Ef-

* Thomas's Practice of Physic.
† Darwin's Zoonomia, vol. ii.
‡ Heberden's Commentaries, p. 224.

fectus ejus diaphoretici multum augentur ex antimonio addito.

III°. Systematis vigorem restaurare.

Quum remedia evacuantia suum officium perfecerunt, necesse erit ut ad curationis indicationem tertiam animadvertamus, ne aegrotus iterum in morbum labatur; nempe, systematis vigorem restaurare.

Remedia Tonica.

Ad hoc medendi consilium sequendum, remedia quae adversus debilitatem valent, aut quae plerumque Tonica vocantur, dari debent. Eorum usus, sine limite, solum impedit visceris alicujus conditio morbosa. Nihil in iis exemplis fieri potest, praeter amarorum leniorum exhibitionem, ut Gentiana, Colomba, &c.

Tonica metallica saepe multum prosunt in

augendis viribus, et concoctionis facultate, post morbos debilitantes, ut hydrops, et ibi insigniter efficacia, ubi constitutio vitiata fuit, cibo malo, aëre impuro, &c. Pilulas de BACHER multum profuisse dixerint et BACHER ipse et Doctor FERRIAR *. Eventus felices secuti sunt, in quibusdam exemplis, remediorum tonicorum exhibitionem, etiam dum hydrops extabat; sed in illis, ubi actio inflammatoria causa morbi est, remedia tonica noxia esse possunt.

Diaeta.

Regulatio diaetae idonea aegroti hydropici, magno est momento, tum actione remediorum, quae praescribimus, adjuvanda, tum corpore proprie nutriendo. "Nunquam utilis est nimia "satietas; saepe inutilis est nimia abstinen-"tia †." Causae effusionis hydropicae pluri-

* Hae pilulae consistunt de Extracto Hellebor. nigr. et Myrrhae solut. ā ℥j. Pulv. cardomom. benedict. ʒiij et ℈j. Misce. Fiat mass. quam divide in pilulas de grano uno. Harum decem pro dosa terties repetita cum horae intervallo.

Bacher sur les Hydropisies.

† Celsus, Liber Primus, cap. ii.

mae diaetam generosam suaserunt. Hoc certe non persequendum est, in iis exemplis queis extat inflammatio, aut ubi inflammatio jam superata fuit, aut, denique, ubi obstructio thoracica apparet, sanguinis transmissione per pulmones impedita. Cibus concoctu facilis esse debet, aromatibus conditus ; qualia sunt sinapis, cepe, raphanus agrestis, &c.——Quod ad potum. Potus abstinentia diu necessaria existimata est. Siti plerumque indulgendum est. Potio non ultra danda est, optimaque est quae urinam movet. Vinum vetustum modica quantitate dari potest.

Exercitatio.

Hoc aegroti roborandi auxilium nunquam omittendum est, quum vires supersunt ; et ambulatio (optima exercitationis species) anteponenda est. Verba de Doctore Gregory prae exercitatione citabo : " Quod idoneam corpo-
" ris exercitationem attinet, pro remedio robo-
" rante, omni laude major est ; cum ad tuen-
" dam sanitatem, si haec natura bona est ; tum

" ad reficiendas aut renovendas vires, si hae vel " morbo, vel pravo vitae genere, vel aliis for- " tasse minus manifestis causis, fractae et ex- " haustae fuerint; tum quoque ad sanandos " plurimos morbos, qui a debilitate vel generali " vel speciali, suam originem ducunt, vel quo- " rum saltem debilitas pars magna est *. Et Celsus de eadem sic loquitur: " Hunc opor- " tet varium habere vitae genus; modo ruri " esse, modo in urbe, saepiusque in agro; na- " vigare, venari, quiescere interdum, sed fre- " quentius se exercere: siquidem ignavia cor- " pus hebetat, labor firmat; illa maturam senec- " tutem, hic longam adolescentiam reddit †."

---

* Conspectus Medicinae Theoreticae, Edit. quart. p. 374.
† Celsus, Lib. i. cap. 1.

FINIS.